

# EPISTULA LEONINA

## CIX

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM NONAM (109) !**

## ARGUMENTA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam nonam.*

*De aure organo corporis mirabili agere coepimus; nunc loquimur de eiusdem defectu deplorabili, id est de surditate. Qui defectus in quonam homine est deplorabilior quam in compositore melodiarum, qui auribus delectamenta affert artificiosissima? En accipe **historiam passionum Ludovici van Beethoven** viri arte suâ celeberrimi, surditate miserrimi. Hac in Epistulâ Leoninâ tibi praebemus symbolam, qua **Iohannes Petrus Zenner** otorhinolaryngologum) symptomata surditatis Beethovenianae describit eiusque causas indagare studet; proximâ in Epistulâ legere poteris verba, quibus ipse Ludovicus van Beethoven narrat de aurium suarum malo horrendo, quo ex societate hominum exclusus esse sibi videtur.*

*Denique in hac Epistulâ legas, quaeso, **Paulus Kangiser Iacobopolitanus** quid sentiat de methodis libros Latinos publicandi et vendendi prioribus et modernis.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. ,  
die Dominico, 19. m. Iunii, a.2016**



**Ο ΕΧΩΝ ΩΤΑ ΑΚΟΥΕΤΩ**


**QUI AURES HABET AUDIENDI  
AUDIAT**

VULG. Matthaeus 13,9 Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούετω.

# DE SURDITATE BEETHOVENIANA „Vivo tamquam exul“<sup>1</sup>

## DISQUISITIO MEDICA

*Scriptis Hans-Peter Zenner, in Latinum convertit Nicolaus Groß*



*Ludovicus van Beethoven* compositor melodiarum gravissimè describit hominis surdastris solitudinem, explicat, qualis morbus sit surdastris<sup>2</sup>. Verisimile est, si medici aetatis Beethovenianae promptas habuissent methodos modernas, futurum fuisse, ut adiuverent virum musicum graviter aegrotantem.

*Ubi primum mortuus ero, . . . , rogate eum [medicum Professore J. Adamum Schmidt]\* meo nomine, ut morbum meum describeret, . . . ut saltem post mortem meam, quantum poterunt, homines mecum reconcilientur . . .“*

<sup>1</sup> <http://www.aerzteblatt.de/archiv/34009> Prof. Dr. Hans-Peter Zenner: Beethovens Taubheit: „Wie ein Verbannter muß ich leben“ Deutsches Ärzteblatt 2002; 99(42): A-2762 / B-2353 / C-2208

<sup>2</sup> \***surdastris**, -ae f. orig. *Schwerhörigkeit*. cfr Daniel Voet/ Gerard de Vries: *Physiologia, sive de natura rerum libri sex*, ed. 3.a., Trajecti ad Rhenum 1688, p.202 (nota in cap.V): „...Potest etiam surdastris oriri ex membrana nimium crassa, consequenter minus mobili; vel etiam quia excrementitio mucore obducta est.“ – cfr Bartholomaeus Torrinus: *Parnassus triceps seu Musarum afflatus physiatromathematici*, Augustae Taurinorum 1657, p.129: „Surditas, surdastris, tinnitus, sibilus, sonitus auditionis errores sunt.“ - cfr Christian Helfer, *Lexicon Auxiliare*, ed. 3.a, Saraviponti 1991, p.494, s.v. *Schwerhörigkeit*: „gravitas audiendi; tarditas aurium; gravis auditus [PLATER: *Diss. De gravi auditu*. Basel 1589]; auditus difficilis [L. HEISTER 1745,25]; <med.> \*bradyacusia, -ae f. [Boleslaw Złotnicki, *Lexicon Medicum Anglicum, Russicum, Gallicum, Germanicum, Latinum, Polonum*. Varsovie 1971, p.153].“ – Alia vox medica est \*hypacusis, -is f.

Hoc inscripsit Ludovicus van Beethoven a.1802, triginta duos modo annos natus, **testamento** suo **Hagiopolitano** (quod scripsit in *Heiligenstadt (Hagiopoli Austriacorum)*, illâ aetate oppidum, sed iam ex a.1891 pars urbis Vindobonae<sup>3</sup>).

Beethovenus iam aetate duodetriginta annorum fuit surdaster. Ultimis vitae suae annis fuit surdus – en per viam quam spinosam gressus est vir musicus ingeniosissimus! Si audis sonatam clavilis modi d-duri *largam et maestam* (op.10) graviter sonantem, quam Beethovenus composuit a.1798 obsurdescens, suspicaris te in modis musicis reperire aliquid illius viae molestae. A.1801, aetate triginta unius annorum, Beethovenus describit sua symptomata: surdastriam cum defectu tonorum altiorum et linguae intelligendae, sonos aurium molestissimos [tinnitum], distorsiones et hypersensibilitatem acusticam [hyperacusin]. In epistolâ quadam amico suo Doctori *Francisco Gerardo Wegeler* (1765-1848) d.29. m.Iunii scripta Beethovenus describit, quomodo hominis cognitio dissonet a modis musicis eius propriis:

„Daemon invidiosus malum dolum nexit valetudini meae, nam auditus meus ex tribus annis magis magisque deminutus est [surdastria]. . . . aures tantum fremunt et strepunt die noctuque [tinnitus]. . . . Vitam dego egenam. Ex duobus annis vitare soleo omnes hominum congregationes, quia mihi non licet dicere me esse surdastrum. Si exercerem artem quamcumque aliam, istud potius paterer, sed in meâ arte talis condicio est terribilis. . . . Altos tonos instrumentorum vocumque cantantium non audio [amissio tonorum altorum], neque, si aliquantulo sum remotior, audio orchestrae aeneatores. Interdum eum audio quidem, qui submissê loquitur, sed non eius verba [amissio linguae intelligendae], at, ubicumque aliquis clamat, hoc omnino non patior [hyperacusis].“


Ipse *Immanuel Kant* adnotavit visu malo hominem separari a rebus, malo auditu ab hominibus. Beethovenus describit, qualis sit condicio hominis surdastrii typica, quam insulatus îdem sit, quam segrex. Surdastria autem est morbus sensu verbi verissimo rationeque duplici invisibilis: Hic morbus non potest videri et is, qui eodem est affectus, se ipsum facit invisibilem. Beethovenus enim e mundo audientium se removet. Qui non potest, quin sine morâ amittat partem humanitatis suae graviorem.

Beethovenus aegrotans cogitabat de morte sibi consciscendâ. Nullâ re servatus est nisi suâ arte. Auditus amissus necnon incepta modos musicos componendi audacia – hae res, quarum una alteri videtur contradicere, in animo Beethovenii potuerunt inter se coniungi.

---

<sup>3</sup> **Hagiopolis Austriacorum** (*Heiligenstadt/ Wien*), quale appello oppidum iam pridem partem Vindobonae urbis factam. cfr *Heiligenstadt* oppidum in Thuringia situm, quod Latine appellatur *Hagiopolis in Eichsfeldia, Thermae Hagiopolis, Heiligenstadium*.

*Professor J. Adamus Schmidt* (1759-1808), medicus Iosephini Vindobonensis, id est academiae medico-chirurgicae, illo tempore curabat Beethovenium eidemque commendaverat, ut Hagiopoli subiret curationem. Huic medico musicus dedicavit opus claviarium Wo0 38 (hoc est Opus 2 retractatum). Quod iam a.1791 scripserat, antequam factus est surdaster – melodia eius est tam laeta levisque, ut medico audienti Beethovenius videatur dicere, ut auditum suum reficeret talem, qualis fuit. A.1805 îdem 35 annos natus componit prima rudimenta symphoniae quintae (Op. 67/1, a.1807/8). Notum est thema pulsandi (*Pochmotiv*). Textus ad hoc thema spectans est hic: »Ita fatum pulsat animam nostram.« Beethovenus nondum est surdus – sed est in itinere ad surditatem faciendo.




**imago sinistra: STRUCTURA NATURALIS.** deorsum: pili sensorii, cellula ciliata, mechanismus motorius, processus synapticus, synapsis, nervus acusticus.

**Imago dextra: CELLULAE AUDITIVAE QUAE DETRIMENTA CAPERE POSSINT.** deorsum: fluxus sanguinis interruptus, defectus pilorum sensoriorum, fluxus sanguinis interruptus, mechanismus motorius defectus, processus synapticus defectus.

Ut intelligas, qualis fuerit Beethovenii surdastria surditasque posterior, necesse est, ut scias, quomodo auris humana operetur. Auris est organum sensuale hominis omnium maximê sensibile et velocissimum. Auris humana quantâ sit sensibilitate, aestimare scies, si consideraveris pressione sonorâ adhuc sensibili in aure internâ effici deflexiones, quae sunt longitudinis  $10^{-10}$  metrorum, quantus est ferê diameter unius atomi hydrogenii. Ratione temporali omni secundâ

dissolvi possunt mille eventûs, quorum fit unus post alium. Signale sonorum a membranâ tympanicâ ossiculis auris mediae oscillantibus transfertur ad stapedem; deinde eo, quod stapedis lamina pedalis introrsus et extrorsus movetur, signale transfertur ad aurem internam.



*imago sinistra:* hyperpolarizatio – ionta kalii ( $K^+$ ) – ionta calcii ( $Ca^{2+}$ ) - nucleus - canalis iontum calcii – vesiculae – substantia transmissoria - nervus afferens – versus cerebrum.

*imago dextra:* depolarizatio – ionta kalii ( $K^+$ ) – ionta calcii ( $Ca^{2+}$ ) - .nucleus – vesiculae – substantia transmissoris – nervus afferens – versus cerebrum.

Signali sonoro efficitur, ut stapes auri mediae insitus vibretur, quo in aure internâ liquore completâ generetur unda. Quae per aurem internam migrans (unde est nomen “undae migratoriae”: quae similis est undae marinae lîtus appellentis), denique locum appellit, quo stimulat quasdam cellulas ciliatas. Hac undâ migratoriâ cellularum ciliatarum pili sensorii putantur deflecti; hac deflexione stereociliorum aperiri canales iontum, qui insunt summorum ciliorum

membranis cellularibus. Mirum est parva fila a summis pilis sensoriis plerisque detrahi ad parietem cili post illos situm. Si stereocilia deflectuntur in directionem stimulationis, fila superiora tenduntur. Biologi mente fingunt filis tensis aperiri canales ionton, qui a iontibus kalii permeari possunt, perque hos canales ionta kalii in cellulam ciliatam influere. Qua de causâ cellula ciliata interna caricatur maiore quantitate electricitatis positivae. Hôc modo signale sonorum mechanicum permutatur in signale electricum corpori proprium. Haec actio dicitur *transductio mechanico-electrica*.

Auris sana est stupendâ facultate altitudines tonorum inter se distinguendi. Nisi auris nostra hac esset facultate, modos Beethovenianos audientes nihil perciperemus nisi quandam pulsem sonorum inter se non dinoscibilium. Homo aegrotus hac facultate privatus sermonem loquelarem quoque vix potest intellegere. Auris interna ad altitudines tonorum inter se seligendas mechanismo duorum graduum instructa est subtilissimo. Pro primo gradu descripto *Georgius de Békésy*, investigator tertio imperio e Germaniâ fugatus a.1961 accepit praemium Nobelianum. Unda migratoria, quam iam supra commemoravimus, duabus enim est qualitatibus gravioribus. Pro altitudine toni haec unda appellitur ad certum quendam locum auris internae: si efficitur tonis altis, unda appellitur ad partem initialem, si a mediis, ad mediam, si a profundis, ad partem auris internae finalem. At haec unda omnino aliter appellitur ac unda marina: Brevi antequam appellitur, hôc loco subito tamquam manu apprehenditur et milies exaucta peracri cusptide instruitur; deinde collabitur. Cusptide autem undae migratoriae milies exauctae exclusivê stimulantur paucae cellulae ciliatae ad altitudinem tonorum spectantes hôc loco sitae, quibus deinde transmittuntur substantiae transmissoriae ad nonnullas fibras nervi acustici afferentes. Ut certâ altitudine toni datâ reverâ nullae cellulae stimulentur nisi paucae cellulae sensoriae internae, necesse est unda migratoria habeat cuspidem acrem. Haec cuspis ter saepius quam cellulis sensoriis internis efformatur cellulis ciliatis externis.

Nam externis cellulis ciliatis generantur oscillationes micromechanicae, quae sunt frequentîâ sonorâ fortes. Ad eas generandas externa cellulae ciliatae possunt aut abbreviari aut prolongari vicies milies pro secundâ (20 kHz). Itaque hae cellulae ciliatae externae quadamtenus sunt motra adiutoria, quibus unda migratoria appellens comprehensa milies amplificatur. Energia oscillationis additicia non gignitur nisi loco auris internae, qui certae toni altitudini est proprius. Cuspis autem undae fortis ita generatae loco accuratê posita traditur ad paucas tantum cellulas ciliatas internas. Hac actione, quae nuncupatur *amplificatio cochlearis*, efficitur validae auris humanae selectivitas frequentiarum permagna, sine qua non intelliguntur sermo loquelaris neque percipiuntur modi musici.

E symptomatibus Beethovenii licet concludere eum quoque – ut multos homines



defectu auris internae surdastros – privatum esse amplificatione cochleari. Quare effectum est, ut praesertim laboraret intellectu sermonis loquelaris deminuto, quem ipse describit verbis supra commemoratis. Amplificationem undae migratoriae fortissimam, qua efficitur cuspis illa acris ideoque frequentiarum selectivitas, in auribus Beethovenii non factam esse verisimile est. Eius morbus hodie potissimum explicatur defectu cellularum ciliatarum externarum. Cellula sensoria auditiva nisi iam movetur, cuspede undae migratoriae deficiente homo animadvertit eadem ac Beethovenius dicens: »Audio ... quidem. . ., sed non intellego verba«. Ex Beethovenii descriptionibus licet concludere eius surditatem eo coepisse, quod successivè amisit sensorias cellulas auditivas externas.

Surdastria auris internae persaepe efficitur motilitate externarum cellularum ciliatarum defectâ aut deminutâ. In disquisitione clinicâ eadem cognoscitur distorsione (angl. *recruitment*) positivâ aut/ et amplitudine deminutâ aut amissâ emissionis otoacusticae transeundo evocatae (TEOAE = *transient evoked otoacoustic emission*).

Si pressio sonora est parva, unda migratoria non iam activè amplificatur; quo fit, ut sonus non audiatur nisi supra peius limen cellulae ciliatae externae physiologicum, id est inde ex 50 aut 70 decibellianis. Ergo: Internae cellulae ciliatae sine externis cellulis ciliatis ad limen nihil audiunt, sed inde ex 50 vel 70 demum decibellianis. Audiogrammate clinico invenitur limen 50 vel 70 maximum decibellianis elevatum. Praeterea amittitur acris illa cuspede undae migratoriae amplificatione effecta, quae valet ad frequentiarum selectivitatem. Quâ amissâ fit, ut in audiogrammate loquelari sermo non iam discriminetur. Insuper fit distorsio (*recruitment*) et amplitudo emissionum otoacusticarum transeundo evocabilium (TEOAE) deminuitur aut amittitur. Quâ amplitudine enim directè mensuratur mobilitas externarum cellularum ciliatarum. Denique exspectandum est facultates binaurales, quales sunt lateralis auditio spatialis et signalium cognitio adversus sonos in recessu valentes, apparenter deminutae sunt.

Beethovenii morbus aurium curari incepta est a.1800. Guttae olei amygdalini et erioxylum armoraciae adhibebantur, postea quaedam species theae, sed etiam medicamenta vesicatoria, qualia dicebantur, quibus cutis pustulescebat; sperabatur vesicis sive pustulis evanescentibus etiam fore, ut evanesceret morbus. Ea quae hodie videntur esse mira atque aliena, illi aetati erant solita atque usitata. Denique medici Beethovenio commendaverunt balneationes aquae Danubii tepidas, quibus fertur tinnitus aurium aliquatenus deminutus esse.

At vir musicus nequaquam sanatus est nec mirum est eum numquam destitisse a medicis quam plurimis consultandis. Ne optimi quidem medici coaequales omnes eum adjuvare sciverunt. Attamen Beethovenius annis usque ad a.1812

transactis octo ex novem suis symphoniis perfecit. *Iohannes Melzel*, inventor metronomi, a.1814 Beethovenio auxilium attulit aliquantulum: tubum auditorium. Aliud adiumentum fuit baculus ligneus Erardiano clavicymbalo affixus, quem Beethoven dentibus interposuit. Hôc modo Ludovicus vibrationes quadamtenus sentiebat.



**(B) Ecce persona Beethovenii viventis  
a *Francisco Klein* a.1812 confecta**



**Tubi Beethovenii auditorii a *Iohanne Melzel*, inventore metronomi, sunt constructi.  
Qui servantur in Bonnensi Domo Beethovenianâ.**

At hi successûs minores statim sublatis sunt. Ex anno 1814 surdastria Beethovenii coepit ingravescere. Indicia fuerunt haec: A.1814 musicus ultimum coram publico clavicymbalo modulatus est. Postea Ludovicus hôc instrumento non iam modulatus est nisi coram amicis aut pro se ipso. *Tomaschek* musicus Beethovenium descripsit esse valdê surdastrum. Anno post (a.1815) *Neate* et

*Simrock*, quorum unus Anglus clavicymbalista, alter fuit editor operum musicorum, Beethovenium, si quidem aliquantulum saltim, sinistrâ tantum aure audire; si quis Beethovenium alloqueretur ad aurem dextram, eum nihil iam intellegere. *Simrock* dicit a.1860 personalia illi non iam dici potuisse nisi scribendo. Ex anno 1818 colloquia cum Beethovenio non facta sunt nisi scriptualia. Traditi sunt quadringenti ferê fasciculi conversationis, quales dicebantur. Si comparaveris imagines Beethovenii annis 1812 et 1815 et 1818, eius facies tibi videbitur per hoc sexennium viginti ferê annis consenuisse. Ex istac senectute praematurâ apparet, quantos dolores hic musicus ingeniosus passus sit experientiâ obsurdescendi.



**Ecce Uwe Ochsenknecht** histrio personam gerens Beethovenii tubâ auditoriâ utentis

At res Beethoveniana etiam ingravescibat. A.1819 *Atterbom* poeta Suetus scripsit Beethovenium esse surdastrissimum. *Ludovicus Spohr* a.1821 observavit Beethovenium clavicymbalo modulantem plectra non iam appulisse.

D.7. m. Maii a.1824 Beethovenius annuntiatus est vespertinum concentum musicum directurus esse. Ab exordio, c.t. „*Die Weihe des Hauses*“ (i.e. Consecratio domûs), per Magnae Missae actionem partialem (*Kyrie, Credo, Agnus dei*) usque ad symphoniam nonam auditum est programma copiosum. Beethovenius specie quidem direxit, at reverâ musici orchestrae secuti sunt *Michaelem Umlauf*, directorem „assistantem“. Iam post *Kyrie* ingens factus est applausus. At Beethovenius se non vertit ad auditores applaudentes. Itaque umeris attactis leniter conversus est, ut applausum reciperet. Manifestum fuit Beethovenium surdum esse. Ex omnibus quae hodie scimus, licet concludere

a.1824 non solum Beethovenii cellulas auditivas externas, sed etiam internas operari prorsus desiisse.

Illo tempore, quo penitus obsurduerat, quales modos musicos Beethovenius composuit? Missam sollemnem cum illo *Kyrie* (Op. 123), quo sonante manifestum factum est musicum obsurduisse. At idem vir desolatus etiam composuit: „*Seid umschlungen Millionen*“ (i.e. „Amplectamur vos, miliones hominum“) et: „*Alle Menschen werden Brüder*“ (i.e. „Omnes homines fratres fiunt inter se“, symphonia nona, op. 125, a.1823/24). Fortasse idem musicus ingeniosus his modis musicis splendidissimis voluit aliquid de se ipso dicere, quod – ut erat surdus – solo sermone non iam potuit exprimere.

Etiam surdastrîa atque surditate praetermissâ Beethovenius erat vir aegrotus. Ludovicus laboraverat morbillis necnon variolis. In eius personâ faciali a.1812 a *Francisco Klein* confectâ apparent cicatrices variolarum typicae. *Aloisius Weizenbach*, professor chirurgiae Salisburgensis, notat Beethovenium morbo typhi ante a.1798 affectum esse. Ab anno 1797 usque ad a.1802 a *Professore Schmidt*, medico, quo illo tempore curabatur, indicantur dolores rheumatici. Num hoc nomen allatum sensu congruat cum notione medicâ hodiernâ, manet incertum. Ex anno 1802 Ludovicus iterum iterumque laborabat nasi infectionibus et epistaxi et asthmate bronchiali. A.1810 videtur tam vehementer humum decidit, ut caput allideretur. Beethovenius cum esset oculis perquam myopibus, gerebat perspicillum, cuius lentes erant minimum 1,5 (unius – virgula – quinque), maximum quattuor dioptriarum.

In epistulis musicus non solum describit surdastriam suam, sed etiam abdominis sui tormina morbosque. Balneationes in Danubio factae, quos commemoravimus, non solum factae sunt ad malum aurium mitigandum, sed etiam ad abdomen eius curandum. Medici hodierni concludunt Beethovenium pancreatitide implicatum esse. Ultimis annis vitae (ex anno 1821) accesserunt icterus et haemoptoe.

„Lassus et miser ille iacebat, interdum altê gemens . . .“ Aegrotus ultimis suae vitae septimanis saepe visitabatur. Ludovicus nunc talem conversationem expertus est, ex quali per plus quindecim annos ipse se excluserat. Non solum cottidie minimum duo medici ad eum veniebant disquirendum, sed etiam amici et familiares solebant Ludovicum visitare. *Ferdinandus Hiller*, qui postea factus est compositor melodiarum et scriptor fabularum, unâ cum *Iohanne Nepomuk Hummel* magistro componendi ultimis diebus versatus est apud Beethovenium. Ferdinandus Ludovicum mense Martio a.1827, id est brevissimê ante mortem, ter visitavit et d.8. m.Mart. „haud parum miratus est, quod magistrum invênit fenestrae assidentem, specie iucundê se habentem“. At alterâ in visitatione, die 13. m.Mart., Beethovenius iam lecto erat impositus. Quem interdum altê gemuisse, sed adhuc multa et vividê locutum

esse. De visitatione sui d.23. m.Mart. factâ Hiller scribit haec: »*Ille iacebat lassus et miser, interdum altê gemens, nullum iam verbum labiis eius excidit – eius frons sudabat*«.



(C) Persona Beethovenii mortui. Quae servatur in Bonnensi Domo Beethovenianâ.

Eodem die Beethovenius subscripsit testamento suo ultimo - teste *von Breuning* semisomnus. Die 24. m.Mart. a.1827 post meridiem super Vidobonâ saeviebant tonitrua ac fulgura – et Beethovenius est mortuus.

Corpus Beethovenii mortuum usque ad obductionem, id est inspectionem cadaveris<sup>4</sup>, quae in eius domo facta est, relictum est in lecto iacens. Sepultus est d.29. m.Mart. Rerum memorialium petitores usque ad hunc diem ferê omnes capillos iam desecuerant. Obductio facta est a *Doctore Iohanne Wagner*, musei pathologici cooperatore. Eius adiutor fuit Dr. *Carolus Rokitansky*, qui postea pervênit in claritudinem.

Medici hodierni potissimum opinantur Beethovenium laboravisse hypacusi auris internae chronicâ. Ex anno 1798 hic musicus nonnullis symptomatibus fuit, quae huius morbi sunt typica: amissione tonorum altorum progressivâ, amissione linguae intelligendae, tinnitu, hyperacusi. Si reverâ hic morbus fuit in causâ, primo cellulae ciliatae externae functione privatae interierunt necnon internae quoque cellulae ciliatae obsurduerunt. Post interitum internarum cellularum ciliatarum nervus quoque acusticus partim potest interire. In protocollo sectionis legitur nervum acusticum fuisse apparenter nimis tenuem, corrugatum, medullae expertem. *Wagner* et *Rokitansky* studuerunt aures viri illustrissimi, qui surditate laboraverat, rationibus medicinalibus, quae illâ aetate praesto erant, quam optimê describere. Cellulae ciliatae nondum erant inventae, microscopium

<sup>4</sup> cfr Georg Friedrich Most (ed.), Ausführliche Encyclopädie der gesammten Staatsarzneikunde, Lipsiae 1840, tom.2 (L-Z), p.414, s.v.: „**Obductio**, Obduction. Ist im weiteren Sinne jede gerichtlich-medizinische Untersuchung, also nicht allein die medicinisch-forensische Untersuchung einer Leiche durch Besichtigung und Section (**Inspectio cadaveris**, Obductio sensu strictiori), wie manche Gerichtsärzte wollen, sondern auch lebende Personen und Sachen gehören hierher.“

nondum exstabat. Nihil praesto erat nisi obductorum oculi nudi. Itaque descriptio nervorum nimis tenuium illo tempore iam fuit accuratissima omnium, quae fieri potuit.

Difficile dictu est, cur cellulae sensoriae interierint.

**Lues** quaedam, qua Beethovenius laborasse postea confictum est, causa fuisse non videtur. Nam non est verisimile nullam partem corporis lue affectam esse nisi aures ceterosque effectûs ad corpus habuisse nullos. Cum illo tempore lues frequens esset, medici secantes certê vestigia alicuius luis quaesiverunt.

Neque **vulnus cranii** potest causa auditûs deminuti fuisse. Nam deest coincidentia temporalis.

**Typhus** quoque causa surditatis excludenda est. Nam etiam non ratio temporalis intercedit inter typhum et surditatem: Beethovenius non eodem tempore iisdem implicatus est.

**Senilitatis causa** Ludovicus iuvenis nondum potuit obsurdescere.

Nec **saturnismo**, id est plumbo imbutus, Beethovenius potuit obsurdescere. Nam aliquot mille operarii in plumbifodinis operati, velut in Americâ australi, saturnismo laborant, sed non sunt surdastri.


Nonnulli contendunt Beethovenium laboravisse **otosclerosi**, id est aurium osteopathiâ. Indicio iis videtur esse, quod musicus melius audivit baculo ligneo, quod erat clavicymbalo affixum. At rarissimê fit, ut homo otosclerosi prorsus obsurdescat. Auctor huius relationis per triginta annos auribus curandis operatus nondum expertus est utramque aurem alicuius hominis effectum otosclerosis obsurduisse.

In cranii Beethoveniani photographematibus videtur apparere ossium incrassatio, quale est typicum symptoma **morbi Pagetiani**, id est osteodystrophiae deformantis. At cranion Beethovenii photographematibus innotuit imagine gypseâ ex eodem expressâ, quae confecta est corpore Beethovii a.1863 exhumato. Illo tempore cranion Beethovenii iam dilapsum erat in partes novem. His novem partibus inter se coniunctis *Aloisius Wittmann* imaginem gypseam inde expressit. Incrassatio illa, quae in imagine gypseâ apparet, fortasse exorta est mendo exprimendi aut reconstruendi.


Medici moderni Beethovenium non sanare, sed adiuvere scivissent. Verisimile est futurum fuisse, ut ille modernis **instrumentis auditoriis** adiutus per multos annos posset audire modos suos musicos. Postea fortasse ei **implantari potuisset instrumentum audiendi** modernum. Cuius instrumento

microvibrationibus **stimulantur auditivae cellulae internae**, si externae sunt destructae. Postquam internae quoque cellulae ciliatae interierunt, cochleae auditoriae Beethovenii implantari potuisset aliud instrumentum. Tali **instrumento cochleae implantato** auditio efficitur, si tota auris interna internis cellulis auditivis inclusis non iam operatur, sed nervus acusticus adhuc est efficax.

Etiam si – ut factum est in casu Beethovenii – denique nervi quoque acustici sunt defecti, hodie a medicis auxilium affertur eo, quod **instrumentum implantatur trunco cerebri**. Quo instrumento implantato cerebrum directê stimulat, ut nervus acusticus non iam sit necessarius. Licet instrumenta cochleae aut trunco cerebri implantata non tam perfectê operentur quam sana auris naturalis. Sed iisdem saepe fieri potest communicatio loquularis. Ceterum concedendum est talia instrumenta implantanda non apta esse, ut quam optimê audiantur modi musici. Iisdem enim inest computatrum subtilissimum, quo praecipuê sermo loquularis pertractatur inque signalia electrica certê definita dividitur. Quae signalia aut nervo acustico aut cerebro recipiuntur et ad *centrum sermonis* sive *aream Brocanam* traduntur. Itaque modi musici Beethoveniani instrumento cochleae aut trunco cerebri implantato non ita eleganter sonat, sed verisimile est futurum fuisse, ut Ludovicus illos audire posset.



**INSTRUMENTUM COCHLEAE IMPLANTATUM**



**INSTRUMENTUM TRUNCO CEREBRI IMPLANTATUM**





**SYMBOLAM**

**IOHANNIS PETRI ZENNER,**

**c.t. *“Beethovens Taubheit – Wie ein Verbannter muss ich leben“*,**

**i.e. DE SURDITATE BEETHOVENII -  
»VIVO TAMQUAM EXUL«**

**QUAE EDITA EST**

**A. 2002 IN PERIODICO, c.t. *“Deutsches Ärzteblatt“*,**

**IN LATINUM CONVERTIT**


**NICOLAUS GROSS**




**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS.**

## De palimpsestis et librorum mercatu



Circa annum 1450 Iohannes Gutenberg primum prelum typis mobilibus creavit; nomen autem huic instrumento impositum est illius, quo uvae exprimebantur; ex eo tempore philologi et humanistae e monasteriis afferebant palimpsestos, quos prelo dabant, ut deinde provulgarentur; sed philologi palimpsestos magna opera ac labore scrutabantur, priusquam in lucem dabant; palimpsestus enim est, ut scitis, membrana pellicea, cui veteres sua opera atramento et calamo inscripserant et ex qua multis saeculis interiectis monachi mediaevales cultello siccum atramentum eraserunt, ut opera ecclesiastica superscriberent. Itaque philologi in palimpsestis ea attente legere studebant, quae non omnino erasa erant, quia ob calami duritiam in membrana relicta erant litterarum vestigia tamquam sulci, qui cultello nempe non erant deleti.



Monachi palimpsestos philologis gratisne dabant edituris? Fortasse interdum; sed saepe illis commodabant, saepissime (facile putatur) vendebant; palimpsesti autem saepissime erant mendosi, quia vel aliqua littera omissa erat, vel verbum, vel etiam totus versus non erat legibilis; itaque philologi difficili opera textus veteres in lucem dabant ope preli; non dubito, quin haec omnia fecerint, quod sibi erat cordi litteris antiquis perscrutandis incumbere; insuper veterum scriptura interpunctione carebat, qua ex causa difficile erat eam legere, nam verba alia ab aliis in palimpsestis non erant separata, sed coiuncta.

Ut brevius dicamus: magnum opus erat saeculo XV et XVI textus veteres edere lectoribus, qui a bibliopolis talia opera emebant pretiumque solvebant, ex quo pretio partim philologis, ut iustum erat, dabatur, sicut antea monachi mediaevales exemplaria manuscripta regibus virisque locupletibus venditaverant. Philologi renascentiae litterarum nihilne quaerebant nisi pecuniam? Non solum pecuniam, sed etiam historiam et antiquorum lectionem et scientiam ita, ut rerum humanarum studio sapientiam quaerent, remque publicam litterarum conderent; omnes enim humanistae opera Latina edebant atque inter sese epistulis humaniter disceptabant, velut Erasmus et Thomas Morus; at mercatus librorum Latinorum, qui aetate litterarum renatarum multis lectoribus ope preli ortus est, nunc est paene deletus. Cur ita? Quia inde ex Eversione Francogallica opera Latina fere nulla iam componuntur et philologi hodierni, qui Latinitati dant operam, legunt Latine, sed, exceptis admodum paucis, minime scribunt; praeterea nos vituperant irridentque, qui studeamus de nostrae quoque aetatis rebus Latine scribere.


Quoniam vero librorum Latinorum petitio in mercatu minima est, idcirco paene deest oblatio; itaque hic mercatus adeo redactus est, ut domus editoriae, quae opera Latina offerunt, vix supersint; lex enim oblationis et petitionis sic nunc habetur, ut mercatus librorum Latinorum contemnatur; quomodo possumus hunc mercatum quasi ex nihilo denuo creare? Poterimus quidem si ii, qui opera Latina edunt, lectores duxerint in unum mercatum, quo facilius omnes oblationes interretis ope pervulgentur; id requirit vel Ephemeriden eiusque Epistulam Leoninam vel aliam paginam interretialem, sed una tantum esse debet, quam velim esse hanc paginam, quae iampridem lectoribus opera offert Latina atque vendit.

Pretia autem quam minima esse debent, argumentaque sint nova, ficta, excogitatae potius quam e lingua vernacula in Latinum conversa; in ea pagina, quam propono, omnes domus editoriae libros suos nuntiare poterunt cum vinculo retiali, ut petitio mittatur; obiter nihil obstat, quominus quaeque domus in sua ipsius pagina libros quoque provulget. Mercatus igitur est coniunctio petitionum et oblationum alicuius mercis; demus igitur operam, ut oblationes imprimis coadunentur.



**IOHANNES GUTENBERG**  
(1398-1468)

# **DE PALIMPSESTIS ET LIBRORUM MERCATU**



**SENTENTIAM SUAM RETTULIT**

**PAULUS KANGISER**

**IACOBOPOLITANUS**

*Santiago de Chile*

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI –  Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoe s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoe s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM  REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM NONAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominico, 19. m.Iunii a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**